



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

I. Castitas est necessaria Neo-parocho.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

animarum, qui non opibus alienis cum-  
mulandis; sed suis profundendis stu-  
duerunt. Hos inspice, ista imitare:  
admouet stimulum Apostolus: *Est,*  
*inquit, questus magnus pietas cum suffici-*  
*entiâ, nihil enim intulimus in hunc mun-*  
*dum, haud dubium, quin nec auferre quid*  
*possimus: habentes autem alimentum, &*  
*quibus tegamur, his contenti simus. Atqui*  
*vt paruo alamur, natura paucis con-*  
*tenta est, tegi verò etiam faciliùs, &*  
*minori possumus. Subiungit deinde*  
*ingentia mala, quæ auaritia secum,*  
*trahit, ac deniq; concludit; Tu verò*  
*homo Dei ( ita pastorem animarum ap-*  
*pellat ) hæc fuge, sectare verò iustitiam,*  
*pietatem, fidem, charitatem, patientiam,*  
*miseriçordiam.*

## CAPVT IV.

Sit Castus, & Sobrius.

NVM: I.

*Necessitas castitatis præsertim in*  
*Neo-parochis.*

Non



NON licet, neque hîc lubet excurre in laudem Castitatis: licet habeam campum apertum, & latè patentem. Paucis multa complexus est S. Bern: *Quid, ait, decorius Castitate? quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum deniq; de homine facit?* Verùm vt in omni hominum genere decora sit, mascula, imò Angelica ista virtus, at certè non modò decora est in Sacerdote; sed etiam apprimè necessaria, idque significabat in lege veteri tunica Sacerdotalis non modò de se stricta; sed quam etiam baltheus ad renes arctiùs adstringebat: quæ lex multò nunc magis nostros Sacerdotes obligat, quòd ad res sanctiores, diuiniorésque tractandas initientur, & quotidie in sacrificio castissimum Agnum; CHRISTI corpus & sanguinem, manibus, ore, intimis visceribus contingant, quod fieri oportet, sanctè, castè.

NVM: